

Mentionem horum feceramus et in Sestiana defensione. Servasse enim de caelo tunc videntur Domitius Calvinus et Q. Ancharius et C. Fannius; *<fas>* autem non erat aliquid cum populo agi eo tempore, quo de caelo servare-
tur. Et hoc alibi notissimum feceramus.

E quibus hos praetextatos sedentis vides.

Domitium scilicet *<et>* Ancharium.

Te praetextam togam, quam frustra con-
feceras, vendidisse.

¹⁰ Acerbissime humilitatem personae orator expressit Vatinium dicendo non impetrato honore statim post repulsam non deposuisse praetextam sed *vendidisse*, quo verbo vel inopiam ostenderet eius, qui praetextae togae pretium desideraret, vel ex eo desperationem, quod ¹⁵ honorem suffragiis populi obtinere non possit ac propterea sibi praetextam putaret minime necessariam.

Tertium scis ex illo obsesso atque adficto tribunatu consularem auctoritatem hominem esse adulescentem consecutum.

²⁰ Hac in parte C. Fannium sive Memmum significat. Verum quod ait: *ex illo obsesso tribunatu* tempus intellegi vult seditiosissimum, quo cum tribuni pl. obsisterent actionibus et P. Vatini et C. Caesaris, pulsati per vim concitatae multitudinis foro cesserant, cum violentiae pares esse non possent.

²⁵ Sedentibus in templo duobus non consulibus, § 18.
sed proditoribus.

Hoc manifestum est de Pisone et Gabinio dici; hi enim Caesari et Bibulo successerunt. Quorum anno omnia contra M. Tullium gesserat Clodius.